



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Comitvm Par Genere, Potentia, Opibvs, Heroicaq. Virtvte
inclytum B. Godefridus, Vuestphalus, S. Romaricus,
Austrasius**

Serarius, Nikolaus

Mogvntiæ

Cap. XXXIV. Imperatori Henrico quam acceptus Godefridus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37252

Sancti fratris nostri nequaquam passus sum tēgi silentio, quatenus pia omnis cognoscat anima, quāta in Godefrido nostro reposita fuerit supernae gratiae magnitudo.

CAP. XXXIV.

*Imperatori Henrico quam acceptus
Godefridus.*

OPortebat quodam tempore hūc Dei seruum adhuc ferētem gladium, cum fratrum ita poposcisset utilitas, ad Imperatoris Henrici cognati sui venire colloquium. Erat autem Capellanus eius Eppo, qui postmodum tanti viri exemplo conuersus est, cui tamen interim non valde fuerunt accepta conuersionis Domini sui principia. Hunc ergo cum paucissimis famulis assumens, dum iter aggredi tentaret, ille ausus est dicere: Qualiter, ō Domine, tuum Imperator aduentum excipiet? quali putas vultu te egenum aspiciet, & pauperē habitu,

habitu, vel crine deformem? absque
 solita militum frequentia modo ad
 se venientem? Cui vir Dei placidissi-
 me respondit: Hoc, frater, Deo no-
 stro totum committo, in cuius *manu*
cor Regis est, & quocunque voluerit, incli- *Prover.*
nabit illud. Cum ergo venisset ad pa- *27.*
 latium, Imperator licet variis occu-
 patus negotiis, eum videns reiectis o-
 mnibus, à longe cucurrit in ample-
 xus eius, exclamans atque dicens: O
 cognate dilectissime, Deo nostro im-
 mensas gratias ago, quod te videre
 hodie merui. Nec enim hac die talem
 ac tantum, tamque mihi præcipuum
 virum me visurum æstimavi. Ita mi-
 ro susceptum amore, magno quo-
 que eum honore detinebat, & præ-
 cæteris, ad Capellani ruborem, fami-
 liarius habitum, demum non
 absque affectuoso mœ-
 rore dimisit in
 pace.